



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia Missionis Anglicanæ Societatis Iesv

More, Henry

Avdomari, 1660

Campianus & Personius primi in Messe Anglicana. n. 1.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38320



HISTORIÆ PROVINCIAE ANGLICANÆ SOCIETATIS IESV. LIBER SECVNDVS.

I. **H** ista quidem foris egere ij, quibus neque in Patriam caritas, neque ad caritatem explicandam facultas deerat, neque par laboribus animus; quos enim labores ad Sarmatas vsque & ad Indos profecti exhauserunt, eos tam facile in vicinam suam Angliam profudissent, si ita tulisset fors. Nunc eorum exigere virtutem aggredior quibus contigit primis ex Societate Iesu in ipsa Anglia Hæreticorum ferociam experiri, & quos annis consequentibus habuit ea Insula auitæ fidei inuictos propugnatores. Equidem iure meritissimo primas *Campiano* deferri, & *Personio* prorsus censuerim: obcuriora enim sunt, atque incerta, quæ de claris Martyribus *Thoma Woodhouse*, & *Ioanne Nelsono*, narrat *Thomas Stephansonus* in vita *Pondi*, quod Societati nomen dederint. Quem autem *Zacchunus* memorat Patrem *Thomam King*, in Patriam sanitatis causâ missum ibidem obiisse anno millesimo quingentissimo sexagesimo quinto; etsi spem fecit is, in afflicta valetudine salutis plurimorum (quod testantur *Polanci* literæ pro *Borgia* Vicario scriptæ) altero tamen mente contabescens, sibi coronam peperisse sperandum est, nobis verò ultra spem cum nihil dignum Annalibus reliquerit, alijs lampada palmamque non inuitus concedet.

Campianus & Personius primi ex Societate in mesase Anglica.

II. Anno post sæculum decimum quintum quadragesimo natus est Londini *Edmundus Campianus*, eo, uti diximus, tempore quo *Henrici* Regis in Pontificem odio, amplissima Religiosorum hominû Cænobia passim disturbabantur. Quantû in puero crederet ingenij & industriae laudes, luculenter

Campianus nascitur Ao. 1540.

